MEMORIAE PHYSIOLOGIA ET PATHOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS

MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA

GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT ET

DIE XVI. ANTE CAL. OCTOB. MDCCCXXXVI

PUBLICE DEFENDET

IUSTINUS SELS,

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FRID. BAUSCH, Med. et Chir. Dr.

CHRIST. RINGENS, Med. et Chir. Dr.

HENR. UNGAR, Med. et Chir. Dr.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITT. COMPL. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

L. S.

Quamquam omnis de mente humana doctrina illaque imprimis pars, quae versatur in commercio animi et corporis declarando, abundat argumentorum difficultate et rerum magnarum copia, quarum contemplatione omnes in iustam admirationem rapiuntur; haud tamen adeo curandum esse putaverim severum nonnullorum iudicium, qui de corporis et animi consensu nihil censent posse explicari, et eos, qui de hoc genere aliquid in medium proferunt, homines ventosos rerumque sublimium inanes iactatores appellant, nolintque non ipsi tantum in expedienda huius rei difficultate ullum studium ponere, sed eos quoque, qui de hac doctrina aliquid scribant, maxima severitate coërcendos putent. Itaque quum amicissimus esset hisce studiis animus meus, monente scribendi necessitate vir celeberrimus F. Nasse, cui quam multa debeam quamque praeclara, quum vix equidem unquam particulam possurus sim reddere, Deus Optimus Maximus remuneretur, ad eam quaestionem indagandam me adduxit prae ceteris singularem, qui fieret, ut memoria vel a morbis vel ab aliis cor-

poris vicissitudinibus ita posset labefactari, ut homines totius vitae ante actae et proprii adeo nominis obliviosi redderentur. Argumenti suavitas ita me cepit, ut iusti timoris sensus, quem et magnitudo rei et nostra imbecillitas iniicere poterant, non totus quidem oppressus, sed multum certe lenitus esse videatur, etsi bene sentio, hunc meum libellum doctrinae copia, sententiarum pondere, venustate orationis carere, in quibus magna ad colligendam lectorum benevolentiam vis esse solet, nullamque habere posse commendationem, nisi quae ab auctoris verecundia et ingenua propriae imbecillitatis confessione proficiscatur.

I. PHYSIOLOGIA.

Caput I.

Disquirentibus nobis, quomodo cohaereat cum corpore memoria, id imprimis necesse erit, ut conservandas repraesentationes atque eam actionem, qua ad conscientiam uti dicunt revocentur, separemus, quum, quod infra demonstrabitur, altera huius, altera illius sit cum corpore connexio. Quare primum utrum retineantur atque conserventur repraesentationes in animo, an in cerebro investigemus. De quo quum in contrarias sententias discedant scriptores, commodum erit causarum contentionem facere. Afferunt, qui cerebrum locum esse contendunt, ubi reserventur rerum quaedam imagines vel signa:

1. hocce fieri posse; nam animalia omnia superari ab homine cerebri magnitudine, augerique cerebri superficiem permagno gyrorum et sulcorum numero, neque quidquam nos impedire, quominus rerum hisce quasi imaginibus infinitam attribuamus exiguitatem.

2. Re vera retineri in cerebro vel ideas materiales vel alia quaecunque sint idearum perceptarum signa, ex eo apparere, quod morbi cerebri et internis et externis causis excitati memoriam debilitent deleantque, cujus vero rei nulla alia inveniri queat explicatio.

Quae quamquam speciem quandam prae se ferant veritatis, tamen haud desunt argumenta, hausta partim ex phy-

siologiae observationibus, partim ex aegrotorum quorundam historiis, partim e philosophiae doctrinaeque sacrae veritatibus, quae alia edocent atque prorsus pro nihilo eas causas aestimandas esse demonstrant:

1. Physiologia extra omnem dubitationem posuit, vitam secum ferre continuam materiae organicae mutationem. Sed quomodo signa, de quibus diximus, in cerebro retineri possint, quum quodvis momentum aliam ejus faciat materiam? Certe nonnisi ex adjuncta alia hypothesi ejus rei explicatio proficisci posset; nam ponere deberemus, cerebri omnes particulas, a quibus idearum conservatio penderet, eandem, qua ipsae utuntur conditione, prorsus novis particulis tradere.

2. Enarrant autores fide dignissimi casus, in quibus quum deleta vel magnopere mutata parte quadam cerebri memoria debilitata esset, ea reverteretur, quum cerebri sanitas restituta esset. Proferamus eas observationes atque quid ex iis planum fiat, perscrutemur.

Observatum ab Arwid Faxe casum enarrat hunc Reimarus [1]).

Rusticus quidam, valido corpore, annos natus 30, qui ante nonnullos annos naufragio ad mortis periculum adductus erat, mense Jun. MDCCLXXI febri correptus est, cum doloribus articulorum capitisque vehementibus conjuncta. Oratio simul cum deficiebat, amittereque haud ita multo post sensus externos et internos videbatur. Febris sensim et ardor evanuerunt, remanente sensuum defectu et permagna corporis macie. Sine motu semper recubabat rejectis manibus in pectus, pedibus protensis, clausis oculis. Paullulum lactis vel vini vel spiritus vini usti, quod ei instillabatur parvaque herbae Nicotianae copia, quam interdum mandebat,

1) Ueber die Unmöglichkeit bleibender körperlicher örtlicher Gedächtnisseindrücke und eines materiellen Vorstellungsvermögens. §. 34.

sola fuerunt alimenta neque dies defuerunt, quibus ab hisce quoque abstinebat.

Frater in eo fovendo curam incredibilem adhibens aestate anni MDCCXXXII balnea aegroto parabat ex herbis diversis, quibus saepius repetitis sensus quidem et corporis vires sensim revertebantur, sed mente adhuc carere videbatur et vultum moestum magnumque hominum timorem exhibebat. Fratris continua diligentia denique perfecit, ut e lecto surgeret, per agros deambularet, alios quosdam cibos sumeret, lavaret caput aqua frigida e fonte propinquo. Quamquam tali modo audiendi, videndi, sentiendi facultas revertebatur, tamen magna restabat corporis debilitas, mentisque lumen fere omnino deficiens et loquendi impotentia. Ita se habens, annis duodecim post morbi initium elapsis, quum mane d. VIII. mens. August. anni MDCCLXXXIII more solito aquam hausisset e fonte, lavaretque caput praesentibus fratre et aliis affinibus: subito tremor totius corporis exstitit vulneraque parva in fronte, iuxta dextrum orificium nasale, in medio mento, in utraque aure, perpaucas sanguinis guttas emittentia, atque voce debili exclamavit aegrotus:

„Proh Deum immortalem! Quam mire! ubinam fui per tantum tempus?“ — Reversa vero erat ex eo momento mentis potestas, quidquid voluit loqui poterat, earum rerum, quas ante memoria tenuerat, haud multum hoc XII. annorum spatio amiserat, omnium quos antea noverat hominum nomina bene meminerat, id solummodo mirans, quod tantopere senuissent. Sed nil prorsus eorum, quae morbi tempore acciderant, sciebat neque recognovit eos, quos, quamquam quotidie ante ejus oculos fuerant per spatium morbi, antea non viderat. Superatus morbus quasi somnus ei esse videbatur, quod utrum breve an longum tempus durasset, nescivit. Vulnera, e quibus sanguis effluxerat, cicatrices formabant, valetudo optima brevi sequebatur, ita ut solitis posset fungi negotiis.

Tradit Prichard [1]) casum ejus generis alium:

Vir, cujus fidem exploratam sibi esse contendit Prichard, de equo quondam praecipitatus vulnus capitis accepit atque per plures hebdomades mentis, uti videbatur, non compos, in lecto jacebat. Convalescentem non solum, se de equo dejectum esse, sed etiam, quae haud multum ante eum casum acciderant, omnino fugiebant. Quum postea saepius regionem, qua malum esset nactus, videret, sensim ea, quae sibi acciderant, in mentem venerunt, ita ut post longum tempus totam rem gestam bene teneret.

Ex Roschii [2]) praelectionibus casus tertius narratur, valde mirandus:

Iuvenis litterarum sacrarum causa vivens in universitate quadam Americae septentrionalis, antiquarum linguarum satis peritus, cerebri morbo corripiebatur, qui omnia ei quae sciebat ademit, ut non solum legere non posset libros latina lingua conscriptos, sed ne grammatices quidem meminisset ullam regulam. Quam ob rem discere iterum, quae prorsus nova ei fuere, elementa incepit, atque eluctatus declinationes, conjugationes, syntaxin, progressusque usque ad verborum ordinem indagandum, quum aliquando, quae eo die memoriae mandarat, magno cum sudore sibi revocaret; subito manum capiti admovens exclamavit: „Quid mihi accidit, ea omnia jam scivi!“ Ex quo tempore quaecunque ante morbum callueerat, ita reversa fuere, ut aeque ac antea et caeterarum rerum et latini sermonis intelligens esset, atque postea illustrissimorum patriae sacerdotum in numero haberetur.

Observavit haecce Dr. Chailly [3]).

---

1) Treatise on diseases of the nervous system. 1822. p. 14.

2) Nasse's Zeitschrift für Anthropologie. 1824. Erstes Vierteljahrs-Heft.

3) Journal général de Medecine vol. 73. pag 308.

Nasse. Zeitschrift für psych. Aerzte 1821. Quart. I. Seite 200

Vir LXX annorum, magnitudine media, corpore obeso, colore genarum ex rubro-violaceo, moribus mansuetis, per nonnullos annos saepissime doloribus capitis et lumborum laboraverat.

D. XIV. m. Januar. anni MDCCCXII quum quid incommodi ei acidisset, dolores lumborum subito evanuerunt. Vespere ludum quendam, cui nomen est Trictrac, lusit, noctemque quietam transegit. Postero mane ingressum vacillantem, corporis magnam inquietudinem, faciem valde rubram et calidam, oculos rubefactos nitidosque exhibuit, sineque justo nexu loquebatur, se filiae prope sedentis solummodo dimidium videre contendens, seque bene novisse medicum, sed haud meminisse nominis, saepius verba pronuncians, quibus uti solent in ludo Trictrac. Tremor mox exstitit vehementissimus, quem ardor magnus sequebatur. Pulsus initio rarus, durus, postea frequentior. Dolores capitis, praecipue regionis temporalis sinistrae vehementes. (Mixtura cui multum Aetheris inerat, quatuor hirud. ad regionem temporalem sinistram, quum tremor adesset. In stadio caloris Clysma, hirud. VI. ad anum). Per totum illud tempus loco nominum propriorum verbis ludi illius „sonnet, six-cinq" utebatur. Neque tantopere rerum memoria debilitata erat, quum quae ante annum evenissent, bene recordaretur. (Vespere Venaesectio, vesicatorium magnum ad nucham.) Nox quieta.

D. XVI. Jan. Oculus sinister rubefactus, pulsus durus, plenus, frequens; in memoria nil mutatum. (Venaesectio, Sal medium ad alvum laxandam cum tart. stib., balnea pedum calida.)

D. XVII. Vasculis, medicina impletis, nomen „trois," „six," „sonnet" cet. imposuit. (Venaesectio, clysma, vespere hirud. 6 ad tempora.) Nocte res plures, quibus opus ei erat, gestibus significavit.

D. XVIII. Valetudo multo melior. Non amplius nomina

hominum verbis in ludo Trictrac usitatis significavit, neque vero multo magis apertae fuere sententiae ad intelligendum, quum semper verborum et praepositionum vocabulum regens eum fugeret, quod ea ex causa vel omittebat, vel cujus loco vocabulum sensu carens saepeque satis mirum ponebat. (Sinap. ad pedes, serum lactis cum Aethere.)

D. XX. Debilitas adhuc quaedam restabat corporis. Rerum hominumque nomina nondum poterat invenire, res gestibus ad intelligendum facilibus significans. Quae scripsit mendosa fuere, (id quod sano numquam acciderat).

Diebus sequentibus perfectae sanitati reddebatur, ut facile et verba et res, quae antea tenuerat, in mentem venirent.

Complura refert huc pertinentia Louyer Villermay [1]).

Marita coctoris cujusdam cerevisiae XL. annos nata post suppressos menses capitis gravedine, debilitate sensuum tantaque memoriae imminutione afficiebatur, ut omnia ipsasque preces usitatissimas oblita esset. Adhibitis Venaesectionibus, Aloe, Stimulantibus, cet., postremum fonticulis, sensim memoria revertebatur.

Virgo quaedam [2]) annorum XXV, ingenii hebetis, saepius capitis morbis obnoxia mensiumque abnormitatibus, impetum patiebatur apoplecticum, ex quo quum convalesceret, omnium rerum antea gestarum perdiderat memoriam; omnia ei quasi nova apparuere, solam matrem mox cognovit, cujus vero nomen pronuntiare non potuit. Quum mensis unus intercessisset, pauca verba proferre poterat,

---

1) Essai sur les maladies de la mémoire par Louyer Villermay. III, 1. in Mém. et prix. Vol. I. part. 1.
Acta Copenh. 1673, obs. 78.

2) Dictionnaire des sciences med. I. 32. p. 309.
Journal général de Med. et Chir. T. XX, 1764.

per ambitum verborum res plerumque enuncians, neque potens, quae alius dixerat, verba imitari. Quum mater cura accuratissima eo tandem filiam adduxisset, ut ad preces solitas recitandas et ad legendum apta esset, verba in libris quaerens aliis quae voluit communicavit. Per quatuor menses ita nullum tenere valebat nomen proprium, sed post longum tempus omnia in eundem, quem antea obtinuerant, statum revertere.

Juvenis quidam [1]) vehementi capitis contusione tantam experiebatur memoriae debilitatem, ut decies quaestionem repeteret, ad quam jam pluries responsum erat, bene vero homines praesentes noverat. Vena secta datoque liquore c. c. initio imperfecte revertebatur memoria, ita ut rerum ante venam sectam gestarum melius meminisset, quam quae postea evenerant; sensim denique valetudo prorsus bona restituebatur.

Rem similem observavit Olaus Borrhichius [2]) in sacerdote quodam, qui quum post venam sectam memoriae vis magnopere imminuta esset, eam omnino recuperavit post aliquot tempus.

Rusticus quidam [3]) quum philtrum accepisset a virgine quadam, in terram prosternebatur, membra rigida facta sunt, memoria adeo decessit, ut sui ipsius nomen nesciret. Balnea Amisiensia et Visbadensia aegrotum sanarunt.

Juvenis [4]) 22 annorum vulnus capitis accepit, quo aperiebatur arteria temporalis, exstititque bis haemorrhagia compressione cohibita. Saucius valde debilitatus ita abhinc nominum memoriam amisit, ut, si nomen quoddam dicere

---

1) Dict. des sciences med. I. 32. p. 310.

2) l. c. p. 310.

3) l. c. p. 312.

Ephem. nat. cur. dec. II. Ann. VII. obs. 225.

4) Dict. d. sc med. T. 32. p. 321.

vellet, pronunciaret aliud, quamquam bene errorem cognoscens corrigensque, si alius verbum, quod frustra ipse quaesiverat, nominabat. Sanabatur quidem post longum tempus, sed quum vitam nimis asperam degeret, eadem memoriae aegritudo revertebatur, iterum vero remediis tonicis ac restaurantibus ad sanitatem perducebatur.

Femina [1]) XXIV annorum temperamenti lymphatico-sanguinei, ad iram valde proclivis, sub finem primae graviditatis, quum ira aliquando vehementer incenderetur, prolem mortuam edidit. Spasmos sequebatur delirium continuum (3 Venaesect. aliaque remedia.) Lochia, quorum initio nimis parva copia fuerat, post aliquod tempus largiora fiebant, diminuebantur vesaniae symptomata, sed fere omnium, quae ante morbum acciderant, restitit oblivio, quum solum maritum atque parentes cognosceret. Quae post hoc tempus facta erant, optime recordabatur. Remediis diaeteticis tota ea oblivio removebatur.

Gravida quaedam [2]), quae adeo memoriam amiserat, ut virum a femina dignoscere non posset ipsiusque matris nomen oblita esset, post partum remediaque quaedam adhibita prorsus ad sanitatem reducebatur.

Homo quidam [3]) quum post venam sectam litterarum memoriam ita perdidisset, ut neque legere neque scribere posset, ceterum omnium bene meminisset; anno praeterlapso alia venaesectione sanabatur.

Vir plethoricus 4) LX annorum, oblectamentorum convivalium amicus, iusto nexu carentes sermones proferre incepit, nullum alium ullius morbi signum exhibens. Si sen-

---

1) Diction. des sc. med. T. 32. p. 316.

2) Dict. d. sc. med. T. 32. p. 328. Ephem. nat. cur. obs. 54., dec. II, ann. IV.

3) Dict. d. sc. med. T. 32. p. 328. Ephem. dec. II. obs. 1401.

4) l. c. T. 32. p. 329.

tentiam quandam inceperat subito reticuit, quasi de aliis rebus cogitaret, neque umquam sermonem ad finem perduxit, querens, se quae responderet non habere. Remediis multis adhibitis post 15 fere dies eo adductus erat, ut omnium bene iterum meminisset exceptis litterarum notis, quas in libro conspiciens neque poterat distinguere, neque colligere. Medicus maritam admonendo, ut diligenter doceret coniugem hasce litterarum notas, atque alia adhibendo remedia sex mensium spatio omnino aegrotum sanavit. —

In quibus omnibus casibus, quomodo, si in cerebro conservarentur signa quaedam perceptarum rerum, deleta semel ea signa sponte sese potuissent restituere? Nonne exstincta in tempus sempiternum debebant evanescere? Quamobrem ad id pro vero habendum cogimur, esse animum ipsum repraesentationum quasi conservatorem et retentorem, corporisque, quamquam in memoria, uti infra elucebit, magnae sint partes, nullum tamen esse in conservandis perceptionibus ministerium.

3. Eo accedit haud minoris momenti, quam de quibus supra diximus, causa tertia proficiscens ex observata communicataque a Puysegur [5]) historia sequente pueri cuiusdam virtute magnetismi, qui dicitur animalis, acuti:

Alexander Hebert ex capitis vehementi percussione morbum nanciscebatur cerebri, qui instituendae in puero annos 4 nato terebrationis demendaeque secretae in cerebro materiae cuiusdam alienae medicis necessitatem inposuit. Quo facto saepius puer impetibus afficiebatur, qui initio quidem epilepsiae speciem gerebant, sensim vero in vesaniae accessiones mutabantur. Simul adeo eum memoriae vis defecit, ut, quae ante horam unam fecerat, ex animo iam defluxissent. Puysegur magnetismum adhibens accessiones maniae ve-

---

5) Journal du traitement magnetique du jeune Hebert.

hementissimas evanescere, quotiescunque manu puerum contrectaret, animadvertit. Quum ad stadium, quod dicitur, somnambulantium pervenisset, quoties ad statum istum magneticum perducebatur, toties revertebat, quae antea prorsus defecerat, memoria omnium, quae unquam ei acciderant. Morbi ortum, operationem, quam annos 4. natus passus erat, instrumenta, quibus usi fuerant medici, accuratissime descripsit contenditque, vitam quidem sibi ea operatione servatam esse, sed quum in ea ipsa instituenda cerebrum vulneratum esset, morbum inde crevisse atque id, quod vere dictum esse, quae sequebantur, exhibuere, vesaniam quidem magnetismo posse sanari, nunquam vero reversuram esse memoriam.

In quo puero quum ob cerebri morbum per totam vitam fere omnia memoriae vestigia defuissent, status iste vitae quasi altior manifestum fecit, retentas esse nihilominus ac latente modo conservatas in animo omnes perceptiones defuisseque id solummodo, de qua infra erit sermo, corporis ministerium, quo revocarentur ad conscientiam. Nam si cerebri esset, retinere rerum perceptarum quasi imagines, nescio quomodo posset accidere, ut, si illae imagines ob cerebri malam quandam conditionem vel omnino fingi non potuissent vel fictae statim evanuissent, tamen magnetismi virtutibus prorsus de novo crearentur.

4. Exempla haud desunt, quae perditam morbis cerebri per longum tempus memoriam reverti interdum brevi ante mortem, uti apud Huetium quendam et alios, demonstrant.

5. Similia quotidie unusquisque experitur, quum dormiens rerum permultarum e statu vigilante vigilansque plurimarum, quae dormienti acciderunt, obliviscatur. Quae quisnam ita se habere putabit, ut excedant quaque vice ea omnia ex corpore pauloque post subito revertantur?

6. Si rerum perceptarum notae in cerebro conserva-

rentur, quidni post mortem accideret? Corruente et putrescente cerebro, in nihilum simul notae istae interirent necesse esset, foretque nulla in posterum rerum in terra nostra gestarum memoria. Sin vero animo omnem demamus memoriam, id est omnes cogitationes omniaque, quae ei inesse percipimus, nihil habemus, quod restet, nullumque superesset vitae vestigium. Quamobrem aut animos nostros immortales esse credere desinamus, aut accipiamus necesse est, esse animum, neque vero corpus repraesentationum quasi conservatorem, quarum in utram sententiam abeat haud facile quisquam dubitabit.

Superest, ut quaedam de secunda causa addamus, quam, uti supra diximus, a nostra sententia dissidentes proferunt: posse nullo alio modo explicari, quod cerebri morbis memoria debilitetur, nisi pro vero habeamus, reservari in cerebro quodammodo repraesentationes. Id solummode contra ea moneamus, non solum servandis repraesentationibus fieri recordationem, sed accedat necesse esse, ut revocentur latentes quodammodo ad conscientiam, in quo vero perpetrando corporis opus esse ministerio ex sequentibus liquebit.

Argumentorum omnium, quae hucusque protulimus, si summam colligamus, nihil nobis esse confitebimur, quod in servandis cogitationibus ullas cerebro partes tribuamus; causas vero gravissimas inveniemus, quae animum ipsum, nescio quomodo, tenere et servare, quaecunque perceperit, probent.

Caput II.

Perductis hisce ad finem, secundam aggrediamur, quam nobis proposuimus, quaestionem, unde pendeant revocandae ad conscientiam latentes in animo repraesentationes, num a solius animi viribus, an a corporis simul ministerio?

Maximi hoc loco momenti sunt eae observationes, quae cerebri morbis recordationem vel diminui, vel omnino deleri manifestum faciunt. Quarum quum in supra narratis complures iam contineantur, pauca solummodo addamus.

Memoratu hanc dignissimam observationem communicavit Larrey [1]).

Ludovicus Manez annos natus 24., unus ex equitibus exercitus Franco-Gallici in pugna Waterloensi D. XVIII m. Iun. anni MDCCCXV glande plumbea e tubo ignivomo emissa ita caput vulnerabatur in regione lineae semicircularis sinistrae temporum VI vel VIII millimetros ab arcu superciliari remota, ut glandis plumbeae maior quam dimidia pars in cavum capitis intraret. Humi prosternebatur miles, sequebatur syncope per longum tempus durans, simulque alvi aliquid urinaeque emisit invitus. Sanguinis tunc magna copia e vulnere effluxit, itaque quum per duos dies noctesque in loco proelii sine auxilio iacuisset, civis quidam Bruxellensis eum secum domum portavit. Chirurgus quidam frustra glandem ex osse extrahere periclitatus et inflammationis cerebri et pressus symptomata, dextri lateris paralysin omniumque corporis functionum impedimentum Venaesectionibus, potionibus refrigerantibus, accommodatis vivendi praeceptis depulsit. Aegrotus quum post nonnullos menses eundi facultatem recuperasset, ad Larreyi pervenit nosocomium Parisios. Glans plumbea eo, quem designavimus, loco haesit restititque membrorum movendorum quaedam difficultas, partiumque vulnus circumdantium inflammatio. Glans plumbea, quum terebrationem pati nollet aegrotus, removeri non potuit; caetera ita ad sanitatem reducebantur, ut instructoris cohortis muneribus posset fungi, ea sola mentis abnormitate remanente, ut substantivorum deesset memoria. Quamobrem

1) Journal de phys. exper. et pathologique par Magendie. Janviers 1828. p. 1.

partes singulas tubi ignivomi militibus expositurus libro utebatur, ut cuiusquam partis nomen inveniret possetque pronunciare. Eodem modo milites, quibus praeerat, habitu, forma, colore, voce optime dignoscebat, sed nomina haud meminerat saepiusque immutabat.

Anno 1827 demortuum Larrey dissecavit atque in circuitu glandis plumbeae protuberantiam rotundam invenit fractis ossium particulis, quae coaluerant, formatam, duram matrem eo loco arcte cum ossibus cohaerentem, cerebrum glande plumbea paullum excavatum, hemisphaerium dextrum sexta parte maius quam sinistrum, ventriculos cerebri et canalem pro medulla spinali fluido seroso expletos.

Narrat Villermay [2]) hominem quendam, cuius oculus ictu acinace inflicto vulneratus esset, memoriam perdidisse linguarum et graecae et latinae, ita ut prorsus eas de novo deberet ediscere. —

Abundant insuper scripta Abercrombie, Andral, Bouillaud, Rochoux, Morgagni cet. observationibus aegrotorum, qui, quum et symptomata, et quae postea instituebatur mortuorum dissectio, eorum cerebrum morbo quodam esse affectum, exhiberent, memoriam vel omnino vel ad partem perdiderunt, estque memoriae iactura in morbis cerebri tam frequens, ut ex observationibus a Burdach [3]) accuratissime collectis liqueat, casum XXXIV. quemque aegrotorum cerebro laborantium coniunctum esse cum memoriae affectionibus.

Quae, quum his casibus non deletas esse ideas sed latere in animo ex supra dictis liqueat, nulla alia ex causa accidere potuerunt, nisi quia, quae latebant in animo, ad conscientiam reduci nequibant. Ea igitur, ut ita dicam, functio, qua fit, ut rerum antea cogitatarum iterum conscii fiamus atque

---

2) Dict. des scienc. med. T. XXXII. p. 311.

3) Ueber Bau und Leben des Gehirns 3 Th. §. 381.

ut rerum antea perceptarum, quod dicimus, recordemur, morbis quibusdam cerebri tollitur. Quamobrem ad eam functionem persequendam certa opus est cerebri qualitate, atque adiuvat cerebrum in revocandis, quae in animo latent, ad conscientiam. Inde venit, quod amissa deletis partibus quibusdam cerebri recordatio, simulac qualitas ista cerebri restituitur, revertit, quamvis prorsus alia sit facta earum partium materia, quodque, quamvis mutentur semper cerebri particulae nutriendo, tamen remanet rerum animo servatarum memoria, dummodo remaneat ea, qua opus est, cerebri conditio.

Caput III.

Eam igitur functionem quum cerebri ministerio fieri ex hisce liqueat, superest, ut primum videamus, num forsan specialis quaedam pars cerebri revocandis rebus in memoriam inserviat, quum certas cerebri partes certis muneribus fungi et permulti contendant, et in aliis quibusdam functionibus a vero non abhorreat; secundum, quaenam sit cerebri conditio abnormis, quae tollat memoriam.

Ad id, quod primo loco posuimus, investigandum haud superfluum esse videtur, referre breviter eorum, qui certam sedem in cerebro certis animi facultatibus designarunt, opiniones. Galenus quum tres posuisset animi vires fundamentales, qui eum sequebantur tres diversas cerebri cellulas, (specus, sinus, cavernas) viribus hisce exercendis destinatas esse contenderunt, atque cellulam anteriorem animae imaginativae (*φαντασιᾳ*) mediamque animae cogitativae (*λογῳ*, *διανοιᾳ*, *νῳ*, *φρονησῃ*) attribuentes, animae memorativae (*μνημῃ*) cavernam posteriorem designarunt.

Willisius vero ad gyros transposuit memoriam.

Postea quum Spix et Huschke vertebris calvariae fundamentum divisionis accommodatius invenisse sibi viderentur, ille sensualitatem sic dictam centralem (animum quem vocat secernitque ab anima sive repraesentandi, iudicandi, ratiocinandi facultate, et ab spiritu s. intelligentia, continente credendi et sciendi facultates) in vertebra collocavit occipitali, ita ut inferiorem locum teneat memoria, superiorem phantasia. Quem contra Huschke sensualitatem ad vertebram mediam transposuit.

Gall viam prorsus novam ingressus diversis memoriae obiectis diversam dedit sedem in cerebro, quem quum multi alii sequerentur, praecipue:

Bouillaud [1]) temporibus recentioribus pathologica anatomia eruisse sibi videbatur, esse cerebri hemisphaeriorum partem anteriorem memoriae verborum quasi domicilium. In quibus quantum veri insit, iis, quas accuratissime collegit comparavitque Burdachius [2]) anatomiae pathologicae observationibus nitentes ad liquidum verbis sequentibus perducere studeamus.

Inter omnes cerebri partes nullius morbi tam saepe memoriae faciunt vel defectum vel debilitatem quam *corporum quadrigeminorum*, ita ut aegrotorum numerus, quorum post mortem aegrotantia inveniebantur corpora quadrigemina, ad numerum eorum, qui affecti, uti sectio cadaveris edocuit, morbo earum partium simul memoriae quandam abnormitatem passi erant, rationem habeat secundum Burdachium [3]), uti 2, 75: 1. Quamobrem qui unam solummodo cerebri partem revocandis ideis praeesse statuere velint, satis habent, quod hanc prae omnibus aliis eligant.

---

1) Traité clinique et physiologique de l'encephalite. Livre II. Chap. II. Act. III. §. III.

2) Bau u. Leben des Gehirns. 3 Th. p. 309.

3) Burdach l. c.

Sed 1. secundum hanc rationem inter casus undenos detectorum in cadaveribus earum partium morborum septem sunt (in quibus non desunt substantiae mutationes quam gravissimae, exempli gratia sanguinis et seri effusiones, malacia, induratio, cet.), qui nullam secum gesserint memoriae abnormitatem.

2. Tantum abest, ut continuo memoriae morbi commutatione quadam earum partium conjuncti sint, ut sint inter observationes LXI. a Burdachio collectas modo quatuor, quae morbum hujus loci exhibuerint. Quare quum morbi etiam gravissimi corporum quadrigeminorum saepius incolumem relinquant memoriam, cumque memoriae morbi plurimi eorum corporum nullam secum gerant mutationem, quidni manifestius, quam non soli huic parti revocandarum idearum functionem adstrictam esse?

Sequuntur partes ceterae hac serie: thalami nervorum opticorum, quorum morbi ad conjunctos cum memoriae abnormitatibus, rationem habent, uti 13,25: 1. ita ut inter LIII casus inventarum in mortuis ejus loci mutationum adsint IL, qui nullam secum gesserint memoriae abnormitatem. Inter casus Burdachii LXI. diminutae memoriae modo IV. morbum, contra LVII. nullam mutationem ejus loci exhibuere.

Minor ea ratio in fornice et in corpore calloso cernitur = 19: 1, refertque Burdach illius morborum modo unum, hujus duo casus cum memoriae defectu.

In substantia corticali ratio = 21,60: 1. interque LXI. casus memoriae diminutae XV. adsunt cum hujus loci mutationibus, XLVI. nihil ibi contra normam exhibentes.

Cerebellum = 22,25: 1. In LXI. memoria laborantibus VIIIies affectum.

Ventriculi laterales = 27,50: 1. inter LXI. casus Burdachii Xies mutati.

Pons = 30 : 1. unus casus inter Burdachii casus LXI.

Lobi anteriores = 32,28 : 1. VIIies mutati inter casus LXI.

Corpora striata = 38,50 : 1. casus duo inter casus LXI. memoriae morborum.

Partes cerebri superiores = 57,80 : 1. casus quinque apud Burdachium.

Lobi posteriores = 56,50 : 1. casus duo inter LXI. memoriae morbis laborantes.

Quae omnia si complectimur, unamquamque cerebri partem singulam videmus morbis affici posse saepissime et ita quidem, ut magnae in iis inveniantur materiae mutationes salva nihilominus memoria; atque invicem, quamquam integra secundum cadaveris sectionem unaquaque parte singula, tamen memoriam vehementissime saepenumero turbari. Quare nulli earum partium soli adstrictam esse liquet revocandarum ad conscientiam idearum functionem, atque id verisimillimum esse videtur, fungi totum eo ministerio cerebrum. Ad liquidum vero confessumque, fungi totum cerebrum eo ministerio, hisce nondum perductum est, sed ad magnum solummodo verisimilitatis gradum, quum et hucusque morbos, quos dicimus dynamicos, detegere in cerebro mortuorum nequeamus et leges nesciamus, secundum quas morbi unius partis ita ad partes alias vim quandam exercent, ut earum turbent functiones, et hoc quoque in tenebris adhuc jaceat, annon partes aequales lateris alterius vices interdum partis destructae suscipiant.

Caput IV.

In loco secundo, quem supra nominavimus, explanando, quaenam sit cerebri, quae memoriam deleat, conditio, ite-

rum collectis a Burdachio observationibus, quibus accuratiora statuere nequeamus; nitamur, permeando omnes status morbosos, qui in eorum qui memoria laboraverant, cerebro hucusque, quantum scimus, inveniebantur.

Morbus cerebri uti videtur quasi inimicissimus memoriae status est Commotionis; nam inter commotiones 3,66 semel memoriam esse vel debilitatam, vel deletam Burdachius invenit. Sed id quoque ex ea ratione liquet eorundem cerebri statuum, quantum nos quidem cognoscere po sumus, numerum multo majorem memoriam prorsus relinquere integram.

Demonstrari invicem potuit modo ter hicce status inter casus LXI. memoriae debilitatae.

Multo minus aliarum cerebri mutationum morbosarum ullam invenire licuit, vel quae, quotiescunque adsit, memoriae noceat, vel quae in quocunque memoriae l--sae casu inveniatur, quum hae sint ceterarum cerebri, quas nos quidem detegere possumus, mutationum rationes ad memoriae abnormitatem: Vulnera cerebrum perforantia — inter 17,66 casus unus cum memoriae morbo. Inter LXI. aegrotos memoria laborantes ter vulnera cerebri.

Effusio serosa = 18,53 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. XV ies.

Atrophia = 26,21 : 1. Inter LXI. aegr. memor. lab. ter.

Cava in cerebro = 26 : 1. Inter LXI. aegr. memor. lab. semel.

Suppuratio = 27,5 : 1. Inter LXI. — XVII ies.

Sanguinis effusio = 36 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. IX ies.

Cranium depressum = 37 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. semel.

Mollities = 37,86 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. VIII ies.

Coalitio = 42 : 1. Inter LXI. aeg. mem. lab. bis.

Induratio = 44,5 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. bis.

Hypertrophia = 45 : 1. Inter LXI. aegr. momor. labor. bis.

Materia terrea vel ossea in cerebro = 46: 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. semel.

Hydatides = 51 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. semel.

Exorta in cerebro corpora aliena = 54 : 1. Inter LXI. aegr. memor. labor. VIII ies.

Quamobrem cum morbosarum earum conditionum unaquaeque possit adesse sine ulla memoriae debilitate, cumque earum singula quaeque saepissime desit in casibus, qui memoriam fere omnino deletam exhibent, nullam earum esse liquet, quae, quominus ideae ad conscientiam revocentur, impediat, sed alia est affectio quaedam cerebri, cultro anatomico non detegenda, dynamica, quae aliis sub conditionibus adducitur hisce degenerationibus, sub aliis vero non se cum iis conjungit. Quaenam vero sint eae conditiones, eruere hucusque nemo certe poterit, quum degenerationibus cerebri gravissimis, quibus omnes cerebri functiones prorsus deleri, essent fortasse quidam, qui crederent, tamen haud interdum adducatur ea affectio, ita ut integra quoque inde remaneat memoria, quum econtra casus alii, in quibus vel nulla vel levissima detegebatur in cerebro mutatio, memoriae exhibuerint fere totalem defectum.

Idem, esse dynamicam eandemque levem modo cerebri affectionem, quae deleat memoriam, hisce quoque casibus memoratu dignissimis probatur.

Artemidorus Grammaticus quum crocodilum prope jacentem adspiceret, subito quaecunque sciverat, obliviscebatur.

Vir quidam [1]) annor. 47. oblectamenta amans convivalia, quum infantem suum ex alto quodam loco decidentem videret, pro parte amisit memoriam, ita ut sermones faceret saepius abruptos, quia verba eum deficiebant, ceterarum vero rerum omnium optime meminisset. Hoffmannus, cui tradebatur aegrotus, multa adhibuit remedia, quae nescimus quantum polluerint.

Adducebantur causis hisce ex animo solo proficiscentibus certe haud materiae in cerebro, quas cognoscere potuissemus mutationes; sed solummodo affectio quaedam, quam appellamus dynamicam.

Deinde huc pertinent casus alii, qui etiam magis rem illustrant, in iisque primum historia, quam supra retulimus pueri Hebert, communicata a Puysegur. In quo puero, si fuisset sauciatione adducta cerebri mutatio organica (quam dicimus), quae memoriam delevisset, quomodo fieri potuisset, ut ea mutatio organica uno puncto temporis magnetismi virtutibus restitueretur, atque aeque brevi tempore iterum reverteret, quod quidem accidere debuisset, quum simulac status, quem dicimus somnambulantium, intravit etiam memoria rediisset, rursus evanescens, simulac status iste decessit.

Eo accedunt observationes duae Mangetii [2]).

Vir quidam LXIV. annorum per longum tempus malo hypochondriaco vexatus bis certo anni tempore adeo per complures dies memoria destituebatur, ut neque sui ipsius nominis, neque alius rei, quam alii ei narraverant, neque eorum, quae scribere voluerat, meminisset. Post paucos vero dies omnia erant in memoriam reversa.

Vir alius [3]) item malo laborans hypochondriaco, quem

---

1) Duct. d. sc. T. XXXII. p. 3.

2) Louyer Villermay. Essai sur les mal. de la mém. chap. V. in mém. et prix Vol. I.

3) Ibidem.

quotidie per tempus totum diurnum oblivio cepit omnium signorum, vespere quoque memoriam ita recuperavit, ut posset, cujus per diem facultas defecerat, et legere et scribere.

Aegrotus [1]), quem Villermay curavit, LX. annorum, magna et longa animi aegritudine in morbum scorbuticum implicatus, quum mense April. MDCCCXII spectaculo interesset, subito memoriae patiebatur jacturam imperfectam, ita ut neque sui ipsius, neque viae, neque aedificii, quod habitabat, nomen recordaretur.

Finito spectaculo aedificium quidem situm prope theatrum reperire potuit, neque vero eius, neque viae nomen recordatus. Quum per noctem bene dormiisset, postero mane omnia iterum facile in mentem venerunt.

Proficiscens quidam [2]) ad Graeciam cum concussu vehementi e curru deiectus cista caput percutiebatur ita vero, ut neque doloribus, neque vulnere ullo afficeretur; oblitus erat ex eo momento terram unde profectus erat, finem itineris, diem hebdomadis, quo iter susceperat, nutrimenta, quae sumere voluerat, omnia quae habebat mandata, imo nomina cognatorum amicorumque, nil retinens, nisi nomen sui ipsius liberorumque atque sanctae trinitatis mysterium. Inscendit in currum, hominum auxilium petiturus, atque per horam dimidiam in via lapidosa magnopere quassato subito omnia revertebantur.

In quibus omnibus casibus levem modo affectionem cerebri causam fuisse deletae memoriae luce clarius est, quum verae mutationes materiae non potuissent restitui tam brevi temporis spatio. Quare est nihil aliud, nisi affectio quaedam cerebri dynamica, quae revocandas in conscientiam ideas impediat.

---

1) Ibid. et Dict. des scienc. med. T. XXXII. p. 322.

2) Dict. d. sc. med. T. XXXII p. 327.

Omnium, quae hucusque perscrutati sumus, summam colligentes, haec invenimus quae pateant:

1. Retinentur ac conservantur ideae in solo animo nil adiuvante corpore.

2. Opus est ad revocandas conservatas animo ideas corporis quodam ministerio.

3. Nulla eo officio fungitur pars cerebri specialis, sed id verisimillimum videtur, esse totius illud cerebri officium.

4. Non sunt mutationes cerebri organicae, quae deleant memoriam, sed levis sollummodo perturbatio quaedam dynamica.

II. PATHOLOGIA

Caput I.

Ut iustum tribuere possimus locum morbis memoriae in systemate nosologico, id inprimis erit distinguendum, num sint vesaniae adnumerandi, an non? Omnis vesaniae naturam nonnisi eo contineri, quod vesano facultas desit erroris sui vanitatem cognoscendi, quum vir illustrissimus Fridericus Nasse manifestum reddiderit, nil nobis aliud erit perficiendum, nisi, num hanc notam certam prae se ferant memoriae morbi, perscrutari. Sed quod maxime dolendum est, fere omnes, quibus facta est observandorum memoria laborantium potestas medici, aegrotos non ea qua opus esset cura attenderunt, atque plerumque singula solummodo momenta morbi quasi rem miram et inexplanabilem communicarunt. Quamobrem exceptis perpaucis, quae scriptores tradiderunt, ea solummodo habemus, quorum fuit observandorum nobis ipsis occasio. In quibus vero nequaquam eam facultatem deesse, animum ad hanc rem advertentes invenimus.

Ita in clinico medico Bonnensi, quod floret sub auspiciis ill. Nasse, curavi quendam Christ. Darscheid, virum 32 annorum, qui effuso sanguine, uti postea sectio cada-

veris exhibuit, in sinistrum centrum semiovale Vieussenii ante rex menses impetum passus erat apoplecticum, quem sequebatur dextri lateris paralysis et memoriae defectus partialis, ita ut saepe in media sententia subito sileret, quia, quod ipse affirmabat, res ei, quas narrare voluerat, e mente ceciderant, quae quidem memoriae debilitas minus ad res ante impetum apoplecticum quam postea gestas pertinebat. Hic vir, si quid enarrare volens, eam rem prorsus sibi e memoria excidisse sentiebat, verbis sacris plerumque indignationem ostendit, quod, quae antea optime scivisset, nunc omnino ipsum fugerent. Itaque quae sibi e mente excidissent, optime sciebat.

Idem in policlinico medico, cui praeest ill. Nasse, puellam quandam K. S. cum hereditaria ad tubercula praedispositione, XII annos natam observavi; quae quum ei octo annos natae aqua ex alto in caput defusa terror repentinus illatus esset, in morbum implicabatur meningitidis cerebralis symptomata exhibentem. Sanata venaesectionibus, epithematis capitis frigidis, salibus alvum laxantibus, ingenii quandam mobilitatem et inconstantiam ostendebat atque memoriae omnium, quae post hunc morbum accidebant, fere totalem defectum, quamquam, quaecunque ante morbum sciverat, optime retinebat. Quum ante illud tempus in schola litterarum notas cognoscere (neque vero componere ad verba), numerare, numeros in summam colligere, alium numerum ab alio detrahere, partem tabulae Pythagoricae pronunciare didicisset, ea omnia hucusque tenuit, neque vero, quamquam post morbum per quatuor annos scholam continuo frequentavit, ullam rem huic scientiae adiunxit. Regionem urbis, quam ante quatuor annos habitabant parentes, accuratissime novit, in ea vero regione, qua per duos ultimos annos domicilium habuerant, quasi peregrina fuit, nullam fere viam et domum cognoscens. Quum iam persaepe me vidisset, interroganti mihi num me novisset, respondit: se quantum

meminisset, numquam me adspexisse. Postremo demum tempore, si cum aliis eram, me adiit, manum mihi porrigens. Saepissime ea querebatur lacrymans, quod matri, quam ante morbum optime adiuvasset, nunc in nulla re posset inservire, quum quaecunque sibi mandarentur, brevi tempore exciderent. Quare huic quoque non defuit eorum, in quibus peccavit, cognoscendorum facultas. Idem in aliis videmus casibus a scriptoribus relatis, in quibus quidem de hac re e narratis aliquid licet concludere. Ita supra observationes nonnullas aegrotorum retulimus, qui quum memoriam alicuius rei perdidissent, ad eam de novo ediscendam se accingebant; quod vero nonnisi ex conscientia eorum, quae iis deerant, poterat proficisci.

Quamobrem quum id deest, quo vesaniae natura continetur, nihil habemus, quod debilitatem hanc memoriae vesaniae adnumeremus.

Multo vero alia rei ratio est in totali defectu memoriae. Nam quum, nisi possemus et rerum externarum notas percipere et servare revocareque in mentem quae animadvertimus, nil prorsus nobis esset quod cogitaremus; sunt sensus externi et memoria vitae internae quasi fundamenta. Quorum vero si unum deest, ut rerum uti anteactarum thesauro nequeamus atque percepta eo ipso, quo cogitemus, momento unica sint quae mente agitemus; in quanam re status animi, qui tunc existeret ab amentiae gradu summo se differret atque quisnam dubitabit, quum omnis ullius rei cognoscendae desit facultas, etiam defecturam esse cognoscendi erroris? Quo vero maior erit memoriae debilitas, eo propius ad hunc statum accedet, tunc vesania appellanda, si ad eum gradum pervenerit, quo decedat ea facultas necesse est; consistitque eius rei eadem ratio quae inter stupiditatem et amentiam, quum stupidus quisque se minus quam alius pollere sciat indeque aliorum nitatur consilio, demens vero fiat, si huius cognoscendi facultas decesserit.

Diviserunt scriptores memoriae morbos in Amnesiam totalem, partialem, Dysmnesiam totalem, partialem, prorsus eas affectiones inter se differre opinantes. Sed si verum est quod supra protulimus, servari ideas in animo, et iis solummodo revocandis ad conscientiam inservire cerebrum, graduum modo, quibus ea cerebri functio perturbata est, adesse potest diversitas, ita ut homini cuidam, cuius e memoria pars scientiae excidit, si aliter affectum esset cerebrum, nequaquam alia pars scientiae evanuisset, remanente ea, quam nunc amisit. Idem ex sequentibus liquebit, quae hanc diversitatem phaenomenorum solummodo ex eo proficisci probabunt, quod alii homines alias ideas vel ob frequentiorem usum, vel ob aliam quandam causam facilius revocent in conscientiam.

Caput II.

Symptomotologia.

De memoriae morborum prodromis disserere non licet, quum, quantum differant inter se, quod supra exposuimus, morbi cerebri, quae secum gerant servandarum idearum vel difficultatem, vel impossibilitatem; tantum distent, quae antecedunt symptomata.

Superest, ut in memoriae affectae symptomatis ipsis quendam ordinem quaeramus ac regulam, in quo, quum ea maxime fini nostro congruat, divisionem memoriae secundum res, quas amplectitur, sequamur in memoriam rerum (Memory philosophical sec. Dugald Stewart, Mémoire du jugement Franco - Gallorum) et memoriam verborum sive signorum (Memory casual, mémoire de sensation).

Colligens ex: Dict. des scienc. médic., Nasse's Zeitschrift für psychische Aerzte, Ephem. nat. cur., et scriptis Abercrombie, Andral, Bouillaud, Cowper, Larrey, Reimarus, Rochoux (additis, quos ipse observavi)

casus LXVIII, in quibus accuratius res, quae e memoria exciderant descriptae sunt, eosque inter se comparans inveni in eorum casibus XXXXIII sola signa defuisse, in XVI et signa et res gestas, in IX modo casibus solas res gestas.

Quae ratio nemini facile mira videbitur, nam res ipsae connexionibus valde variis quasi catenam formant, ut vel rebus similibus vel gestis eodem tempore cet. secundum leges idearum associandarum revocandae in conscientiam adiuventur, quacontra signa solummodo saepissime repetendo memoriae quasi prompta fieri solent, haud tot connexionibus gaudentia; indeque sequitur, ad haec revocanda maiore cerebri actione opus esse, eaque ex causa minore functionum perturbatione, quominus ea reproducantur, impediri; quum ad illas revocandas, quae permultis aliis ideis sustineantur multo minor pertineat functionis cerebri gradus, indeque multo maior cerebri abnormitas, ut non amplius ad conscientiam possint reduci.

Accuratius comparando, ut, quorum signorum et quarum rerum saepissime perderetur memoria, liqueret, hancce invenimus seriem: Inter. casus LXVIII e memoria exciderant:

I. Signa sola atque quidem	XXXXIII
1. verba sola	39
a. Substantiva sola	21
α. Nom. propria sola	14
β. substantiva in universum	7
b. Verba in universum	10
c. Linguae totae	8
α. linguae alienae cum retenta lingua vernacula	6
β. Lingua vernacula, ita ut linguae alienae retentae sint	2
2. Litterarum notae	4
II. Et signa et res	XVI
III. Res solae	IX

1. Quaedam vitae periodus cum retentis, quae ceteris temporibus facta erant 4
2. Res gestae post morbum solae 2
3. Res et ante et post morbum gestae 2
4. Res ante morbum gestae solae 1

Quodsi partes singulas ex iis eximamus, hic ordo secundum frequentiam, qua earum memoria deletur, existit: Nomina propria, substantiva, alia vocabula, linguae totae alienae, lingua tota vernacula; litterarum notae, vitae quaedam periodus, res gestae post morbum, res gestae ante morbum. In quo id magnopere comprobatum cernimus, quae sint minimae prompta memoria, ad quae igitur servanda maior cerebri actio pertineat, ea primum e mente excidere. Nam ea maximam postulant revocanda contentionem:

1. quae rarissime repetita sunt, quum quo saepius ideae reductae sint ad conscientiam, eo faciliores fiant ad revocandum;

2. quae ad componenda plurimae accedunt ideae (notae)

3. ideae, quae (id quod ex causis diversis fieri potest) per se obscuriores et debiliores haerent in mente.

Ea vero maxime adscribenda esse nominibus propriis facile liquet, quum et nulla alia vocabula tam raro revertantur in sermonibus et nullorum aliorum cogitatio tot in se complectatur ideas. Sequuntur eodem iure substantiva, alia vocabula, linguae totae alienae, tunc et quia in pueritia res maiore cum vivacitate percipiuntur, et quia huius linguae verba saepissime plerumque repetita sunt, lingua vernacula, postremum litterarum notae, eaedem prima aetate conceptae et saepissime iteratae. Id modo mirum videtur, quod in quibusdam, quamquam paucis, casibus res ipsae memoria decedant licet integris verbis. Quae quomodo accidant studeamus explicare, primum ad eos casus, in quibus certa quaedam vitae periodus latebat, transeuntes.

Sunt in his casus duo (quorum alterum supra retulimus

ex scriptis Prichard, alterum enarrat Astley Cowper[1]) in quibus vehementi capitis concussu res ipsa adversa, quae iis evenerat, exciderat e mente. Terroris magni affectus, quae est affectuum vis, in iis omnes alias ideas ita repressisse videtur, ut rei adversae, qua affligebantur, repraesentatio modo debilis in animum potuerit suscipi, quare quum eo functionum cerebri levis perturbatio accederet, haecce debilis idea prorsus, quominus revocaretur, impediebatur.

Similis subèsse videtur causa in casu tertio a L. Villermay[2]):

Femina quaedam honestissima, ingeniique felicitate praestans, quum per longum tempus dissedisset a cognatis, viro nupsit admodum amato. Primum partum morbus sequebatur longa coniunctus cum syncope. Expergefacta omnia usque ad matrimonii tempus bene recordabatur, sed quaecunque postea acciderant, nescivit. Primum cum terrore coniugem prolemque repellebat, atque quum cognati et amici ei persuadere studuissent causis testiumque auctoritate, in matrimonium ipsam ductam esse peperisseque filium, credere quidem se unius anni memoriam amisisse, quam omnes esse deceptores malebat, sed ea pro certo habere numquam ipsi persuasum est. Videt coniugem filiumque, quonam miraculo unum nacta sit alterumque in lucem prodiderit nesciens.

Discordiarum cum cognatis forsan recordatio, quum finem quem sibi proposuerat, assecuta esset, ita eam torquebat, ut quae post matrimonium acciderant minus possent animum afficere, indeque eorum repraesentationes obscurae modo et debiles existerent, quae eam ob causam perturbata idearum revocandarum leviter functione prorsus laterent necesse erat.

---

1) Vorlesungen über Chirurgie Bd. I. Vorlesung 10. Uebersetzung. Weimar.

2) Dict. d sc. med. T. XXXII. p. 311.

Casus quartus a Prichard 4) nimis breviter omissisque omnibus rebus accuratioribus relatus est, quam in quo quidquam possemus ad rem explicandam invenire.

Eorum casuum, in quibus rerum post morbum gestarum memoriam perdiderant aegroti, supra unum, quem ipse observavi, descripsi. In quo quum, quod diximus animi simul adesset magna levitas et inconstantia, quae quominus res bene mente comprehenderentur prohibebat, quidni manifestius, quam quod ideae illae obscurae, quum memoriae vis diminuta esset, primum ante omnia laterent? Causae similes ex breviter narratis non concludendae haud dubie in casu quem L. Villermay 5) refert, secundo eius generis adfuerunt neque minus in narrata ab eodem 6) deletae omnium, quae ante morbum evenerant, memoriae, remanentibus quae postea acciderant, observatione valde mira.

Uti igitur in aliis animi affectionibus prodeuntibus ex cerebri morbis tanta cernitur diversitas non solum ex morborum varietate, sed etiam ex ea, quae in statu sano fuit, animi conditione derivanda, ita etiam e memoria modo haec, modo illa excidunt secundum aliam aliarum idearum in conscientiam revocandarum facilitatem in diversis hominibus.

Magni certe momenti esset, investigari, num supra nominata series, si sensim magis magisque debilitetur memoria, eadem esset quoad tempus, ut primum nomina propria obscurarentur, tunc sequerentur alia substantiva, cet. Quae vero res, quum desint satis accuratae observationes, integra hucusque relinqui debebit. Unum solummodo casum observare nobis contigit, qui, decrescente memoria, primum nomina propria quasi supprimi, videtur comprobare. Fuit iuvenis fide dignissimus et praeclaris naturae dotibus instru-

---

3) Nasse's Zeitschrift für Anthropologie. 1824. Erstes Vieljahrs - Heft.

4) Dict. des sc.. med. T. XXXII. p. 310.

5) Ibidem. p. 316.

ctus, dilatatione cordis laborans, cuius magis magisque corporis animique vires decrescebant. Primum eius vis novarum cogitationum procreandarum imminuebatur, ut ad ea coerceretur, quae antea sciverat qnaeque ab aliis accepit, postea se intelligere iam non posse tam facile quam antea sentiebat, quum facillimus ad intelligendum liber interdum obscurus ei maneret. Postremum quum copia verborum latinorum graecorumque satis magna eadem adhuc esset, quae in statu sano, nomina propria saepe ei deerant, quae optime antea tenuerat. Inde corporis sensim vires revertebantur, redibatque pariter animi integritas.

Exitum memoriae minus magisve debilitatae plerumque infaustum esse iam ex supra nominatis, quae in cerebro adesse soleant, degenerationibus liquet, id quod casus, in quibus aliquid de fine morbi adnotatam est, comparantes comprobatum videmus, quum inter laborantes memoria XXXXV mortuos esse XXIII ipso cerebri morbo, VII, etsi eo morbo non consumtos, tamen memoriam non recuperasse, XV ad sanitatem omnino restitutos esse invenerim.

De Aetiologia multa addere superfluum esse videtur, quia et de causa proxima et de degenerationibus, quae conditionem istam cerebri secum gerere soleant, satis supra disseruimus, atque quia omnes causae remotae, quae eos cerebri morbos queant adducere, memoriae inde fieri possunt obnoxiae. Adiungendum modo est, dimminutas aut depressas vel nimia cerebri irritatione, vel causis aliis suppri mentibus, vel totius corporis virium debilitatione vires cerebri persaepe adducere revocandarum idearum functionis eam perturbationem. Quamobrem huc pertinent: aetas, commoratio locis paludosis auraque insalubri, victus tenuis et depravatus, intemperantia amoris et Bacchi, morbi corpus valde debilitantes, nimis magnae venaesectiones, suppressi menses haemorrhoidesque, nimiae longaeque animi intentiones, vehementes animi motus ac perturbationes.

VITA.

Natus ego Iustinus Sels Meschedae in Guestphalia, anno MDCCCXII. patre Casparo Sels, matre Brigitta, e gente Bamberg, catholicae fidei addictus, primis litterarum elementis in patria urbe imbutus adii Gymnasium Arnsbergense, quod floret sub directore Philippo Baaden. Erant inter praeceptores ejus gymnasii viri nonnulli egregii, atque in hisce praecipue Fridericus Stieve, Dr. Phil., a quibus cum singulari et sapientia et cura me institutum esse numquam e memoria gratissima excidet. Testimonio maturitatis exstructus anno MDCCCXXXII. tempore paschali almam universitatem Marburgensem petii, ubi a cl. Endemann Rectore tum temporis magnifico civibus academicis et facultati medicae adscriptus per annum unum et dimidium hisce praelectionibus interfui:

Ill. Matthias de logice; ill. Sengler de hodegetice, philosophia morali, historia novae philosophiae de poëmatis Goethii; ill. Wurzer de chemia, de chemia oeconomica, de geographia physica, de pharmacia, de educatione liberorum physica, de materia medica, de probandis medicamentis, de medicina forensi, ejusque interfui exercitationibus in laboratorio chemico; ill. Wenderoth de botanice; ill. Herold de zoologia. Ill. Bünger de anatomia tam generali quam speciali; ill. Heusinger et ill. Pfennigkaufer de physiologia.

Anno MDCCCXXXIII. almam universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam petii ibique a Rectore magnifico

Brandis inter cives academicos receptus a spectatissimo facultatis medicae decano ill. Mayer numero medicinae studiosorum adscriptus sum.

Praelectiones, quas ibi frequentavi hae sunt:

Ill. a Münchow physica experimentalis; ill. Noeggerath mineralogia; ill. van Calker psychologia; ill. Mayer et ill. Weber duces mihi fuerunt in dissecandis cadaveribus; ill. Weber situs viscerum; ill. Albers pathologia specialis, pathologia generalis, doctrina de morbis syphiliticis; ill. Harless therapia generalis et libri Hippocratis; ill. Naumann therapia specialis; ill. Nasse therapia generalis, therapia specialis, physiologia cerebri et medullae spinalis, anthropologia; ill. Wutzer chirurgia, morbi oculorum, de fasciis rite applicandis, anatomia chirurgica, doctrina de operationibus chirurgicis; ill. Kilian ars obstetricia, doctrina de instrumentis obstetriciis, mulierum morbi; ill. Bischoff medicina forensis; doctrina de epizootiis, privatissime pharmacologia; cl. Nasse junioris doctrina de operationibus in oculo instituendis, de luxationibus et fracturis ossium. In practicis exercitationibus duces mihi fuere in clinico propaedeutico per semestre cl. Nasse jun., in clinico therapeutico per annum et dimidium ill. Nasse; in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per annum ill. Wutzer; in clinico obstetricio ill. Kilian, qui idem dux mihi fuit in operationibus in phantomate instituendis; in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis cl. Nasse jun.

Per ultimum feriarum tempus observandis vesanis operam dedi in nosocomio Siegoburgensi duce ill. Jacobi.

Quibus viris omnibus quam maxime de me meritis gratias dicere, quas possum, maximas valde iuvat.

THESES.

1. *Corpus humanum animi impedimentum.*
2. *Mnemosyne summo jure mater musarum appellatur.*
3. *Morbus primarius voluntatis in vesano non est.*
4. *Omnis vesania e vitio in cognoscendo proficiscitur.*
5. *Non cerebrum unicum est animi organon sed*
6. *Est animus cum toto corpore immediate conjunctus.*
7. *Mercurius non est specificum contra syphilidem.*
8. *Una semper methodus operandi optima.*
9. *Ex dynamica vi forcipis obstetricii nulla indicatio ad eum applicandum.*